



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XII. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Episcopvm De Vrbe Veteri. Vt  
iniusta vexatio monasterii tollatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

mœrore confusos, eo quod opinionis probatæ viros hinc paulatim subtrahi mundo conspicimus, quorum ruina in ipsis iam causarum effectibus comprobatur. Sed hinc nos solerti decet conuersionis cautela subducere, ne sua nos secum pariter ruina circumPLICET. Et quidem amicorum nos amissio tanto debet tolerabilius contristare, quanto amissiuros nos illos conditio mortalitatis exposcit. Sed ta-

Grat. dist.  
89. cap. 3.  
Ant. lib. 7.  
cap. 77.

men amissum carnis vitæ subsidium potens est ille consolari, qui ut adimeretur permittendo concessit, & ipse ad locum, qui destitutus erat, consolator accedere. Diaconum vero Anatolium, quem ad vos dirigi poposcisti, hoc nos facere non posse, causæ magis modus quam rigoris austeras facit. Vicedominum enim eum constituimus, cuius arbitrio episcopium commisimus disponendum.

## EPISTOLA XII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM DE VRBE VETERI.

Ut iniusta vexatio monasterii tollatur.

*Gregorius Ioanni episcopo de Urbe veteri.*

Grat. 16. q.  
1. cap. 12.  
Ant. lib. 5.  
cap. 66.  
Polyc. lib. 1.  
tom. 1. Inf.  
epist. 34.  
lib. codem.

**A**GAPITVS, abbas monasterii sancti Georgii, insinuat nobis plurima se a vestrâ sanctitate grauamina sustinere, & non solum in his, quæ necessitatis tempore aliquod monasterio possint inferre subsidium, verum etiam quod in eodem monasterio Missas prohibeatis celebrari: sepeliri etiam ibidem mortuos interdicatis. Quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi: & sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Missas, nulla vterius habita contradictione permittatis, ne denuo querelam de iis quæ dicta sunt predictus vir venerabilis Agapitus deponere compellatur.

## EPISTOLA XIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD DOMINICVM EPISCOPVM CENTVMCELLENSEM.

Commendat Luminosam viduam Zemarchi.

*Gregorius Dominico episcopo Centumcellensi.*

**O**FFICI quidem sacerdotalis est, vt viduis ac maritali regimine desolatis, impertiri solatia debeat: vt